



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Evsebivs || De Euangelica pr[a]eparatione

Eusebius <Caesariensis>

[Augsburg], 1522

VD16 E 4299

De Atlantiorum theologia Cap. iij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34477

mulieribus, sed liberorum procreandorum gratia. Quamobrem cum Iuno Zelotypia exarsisset, Alcumenæ quidem partum retardauit. Euristea uero uel ante tempus in lucem ædedit, quod fecit, quia prædixisse Iouem audiuerat illo die ex Perfidarum genere regem nasciturum. Herculem vero Alcumenæ lunonem formidatis exposuit, cui Iuno Minerua suadente, mamillam præbuit, & a puero uehementius quam ætas patiebatur attracta mamilla, Iuno commota, duos ad necem pueri misit dracones, ille autem nullo modo territus, alterum altera manu dracones ex collo apprehensos interfecit. Aesculapium Apollinis atque Phoronidos filium fuisse aiunt, adeoque medicinæ artibus excelluisse, ut ab incurabili morbo multos liberaret. Ea re Iouem commotum, fulmine ipsum interemisse, cuius morte irritatum Apollinem Cyclopa a quibus fulmen illud Ioui constructum fuerat interfecisse, unde iratus Iuppiter, ad seruitium Adoneti Apollinem impulit, & hoc modo delicti poenas Apollinem perfoluisse. Hoc in quarto bibliothecæ Diodorus posuit, qui reliquam theologiam ab alijs gentibus Græcos accepisse his uerbis in tertio scribit.

De Atlantorum Theologia.

CAP. III.

PRimum inquit apud eos Cælum regnasse Atlanti asserunt, is quadraginta, ut dicunt, & quinque filios habuit, quorum duos de uiginti Ops castissima, quædam mulier sibi enixa est, quam propter uirtutem, in deos translata[m] terram nominari, filias quoque Cælum habuisse, Basiliam & Cybelem, quam etiam Pandoram uocant. Basiliam quoniam quasi mater fratres enutritisset, matrem appellatam fuisse, & post Cœli mortem Hyperioni fratri nuptam binos liberos, Solem atque Lunam peperisse, Cybeles autem fratres futura formidantes, Hyperiona ingeremisse, Solem ac fluuium Eridanum præcipitasse. Hæc cum Luna sic facta percipisset ab alto seipsam loco deiecisse, matrem autem furore concitatam, crinibus solutis, tympanis & cymbalis bacchantem primo circumuagari, deinde postquam inueniri nullibi poterat, in deos fuisse translata[m] creditum, & aras ei ac templa fuisse constructa, cuius sacra cum tympanis ac cymbalis fiunt, Solem uero atque Lunam, ad luminaria translatos fuisse.

d ij De